

veteros & recentiores divinorum Librorum Interpretes. Chrysoftomo præsertim *Fides & Prædicatio* per illud vocabulum designari creditur. Ad hæc idem sanctus Doctor Homil. xvi. in cap. ix. ad Roman. Apostoli verba explicans capientis *Anathema esse a Christo pro fratribus*, ait: *Ac si diceret, vel si liceret, vellem ab eo Choro separari atque alienari, qui Christum circumdat, non ab ipsius amore &c. Sed & illa Fruitione & Gloria privari sustinuerim, ut ne Dominus meus convicio afficiatur.* Infra addit: *Quomodo Anathema se ipsum a Christo esse precaretur? Mors enim ejusmodi illum magis Choro conjungebat, cooptabatque, qui Christum circumdat; tum efficiat, ut Gloria illa perfrueretur.*

Sunt & alia Chrysoftomi loca, quæ in præcedentibus Capitibus protuli. Superfunt & alia complura, quæ, ne nimius sum, dimitto. Nam quid ultra moror? quando is in Homilia de Sancto Philogonio, quid ipse crederet, quid etiam nobis credendum sit, luculentissime proposuit. Lectorem non tædeat accipere, quæ in hanc rem is longo sermone persequutus est. *Maximopere*, inquit, *garulor hujus Sancti felicitati, quod, quâquam translatus est, atque hanc, quæ apud nos est, Civitatem reliquit: tamen in alteram transit Civitatem, nempe Dei, ac digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit, quæ est Primogenitorum descriptorum in Cælis; & relictis hisce festis transit ad celebritatem Angelorum. Etenim quod & superne sit Civitas, Ecclesia, ac Celebritas, audi Paulum dicentem (Hebr. xii. 22.) Accessistis ad Civitatem Dei viventis, ad Hierusalem Cælestem, & Ecclesiam Primogenitorum descriptorum in Cælis, & ad innumerabilem Angelorum frequentiam. Cur vero Apostolus Panegyrim, sive frequentiam, beatissimum illum locum appellavit, hisce aliis verbis explicat. Non solum autem ob multitudinem Virtutum Cælestium, verum etiam ob abundantiam Bonorum, ac juce Gaudium & Lætitiam, Panegyrim, hoc est totius multitudinis Cœtuum appellat totam illam Vitam. Petis ne, an præter Angelos tanta ibi fruantur Animæ quoque Justorum? respondet Chrysoftomus: Spiritus Justorum perfectorum (eorum scilicet, quibus nihil restat luendum & purgandam in altera Vita) Animarum virtutes, vitæque recta facta, per omnes Cælos videre licet. Non vestes aut amictus, sed Coronas quovis auro pretiosiores: tum brævia, certaminum Præmia, aliæque innumera Bona, reposita iis, qui recte fecerint. Quod si cupis referre, quos complectatur beatus ille Cœtus, quid Chrysoftomus subdat, accipito. Ad hæc, ait, ibi est multitudo congregatorum, longe tum copiosior, tum honoratior. Neque enim constat ex viris urbanis indigenisque, sed illic sunt Angelorum infinita milia; illic Sodalitæ Prophetarum; alibi Martyrum chori; Apostolorum ordines; cunei Justorum; omniumque, qui fortiter rem cesserunt, varii Cœtus. At nihil hæcenus, inquis, Sanctus Orator de Visione beatifica dixit, quàm Ecclesia Catholica Fideles suos sperare jubet. Neque hoc ille omisit: pergit enim dicere: Jamque id sane, majus est omnibus, quod in media Frequentia (sive Cœtu) versatur eorum omnium Rex, Etenim ubi dixisset, ad innumerabilem Angelorum Frequentiam subjeccit: Et*

ad